

*1758, 3.*

36

FACULTATIS IVRIDICAE

EX-DECANVS

CONRADVS WILHELMVS  
STRECKER

IC<sub>T</sub>V<sub>S</sub>,

EMINENTISSIMI AC CÉLSISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIARIVS REGIMINIS, MEMORATAE FACULTATIS ASSESSOR SENIOR, IVRIS FEVDALIS PROFESSOR PVBL. ORDINARIUS, NEC NON CIVITATIS ERFORDIENSIS SYNDICVS ET CONSVL PRIMARIUS

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

---

ERFORDIAE,

Litteris HERINGIANIS, ACAD. TYPOGR.

**Q**uae in antiquis Romanorum Legibus de hereditatis acquisitione & transmissione disposita fuerunt, iure novo in multis immutata, corretaque esse, cum ex aliis Imp. Constitutionibus, tum maxime ex l. 18. C. de iure delibet. perspicue appareret. Continet illa lex, quae secundum IASONEM adeo singularis est, ut nullam in iure concordantem habeat, referente BERGERO in Diff. de transmiss. heredit. §. 30. quatuor potissimum capita, quibus iuri Veteri derogatum est. Primum enim pater hereditatem infanti delatam pro eo olim adire non poterat, cum hereditatis aditio actus esset legitimus, l. 77. D. de regul. iur. & ideo ab ipso herede, non ab alio expediri deberet. JOSEPH. AVERAN. Interpretat. Iur. L. I. c. 12. n. 5. sqq. unde consequebatur, patrem non nisi mediante bonorum possessione, quam infanti filio petere licebat, l. 7. §. 1. D. de bonor. possess. l. 1. D. de bonor. possess. furioso infanti compet. emolummentum successionis infanti, & per hunc fibi potuisse acquirere l. 3. C. qui admitti ad bonor. possess. Verum Imp. THEODOSIVS II. & VALENTINIANVS III. in allegata l. 18. pr. patri permiserunt, vt hereditatem infanti vel testamento reliqtam, vel ab intestato delatam, eius nomine aut adire, aut bonorum possessionem agnoscere queat. Neque vero, vt pater voluntatem adeundi expresse declareret, necesse est, sed si is bona e. g. materna filio infanti delata vltra annum retinuerit, hereditatem nomine infantis adiisse praesumitur, obseruante BRVNNE-MANN. in d. l. 18. n. 13. Deinde quamuis iure veteri hereditas infanti delata, ea nec adita, nec bonorum possessione petita, post mortem infantis ad patrem haud-qua-

quaquam transmittenetur: iidem tamen Impp. in c. l. 18. §. 1. per quam humaniter fanxerunt, vt parens superstes omnia ex quacunque successione ad infantem demortuum deuoluta iure patrio, quasi iam infanti quaesita capere possit, licet eius nomine hereditatem adire, aut bonorum possessionem agnoscerne neglexerit. Quae transmissionis species ad nodum singularis est, & a reliquis hereditatis transmittendae modis oppido differt, cum neque iure suitatis, neque ex ratione sanguinis, neque ratione iuris deliberandi fiat. Quid autem laudatos Imperatores ad nouum hocce ius introducendum permouerit, non omnino expeditum est. Alii quippe ex benigna infantilis aetatis commiseratione illud factum esse existimant, PEREZ. in C. Tit. de iure deliber. n. 25. alii vero patrem propter patriam potestatem ad eam hereditatem admisum fuisse censem. BRVNNE-MANN. in c. l. 18. n. 8. At enim vero cum legis nostrae dispositio magis ad patris, quam infantis fauorem pertineat, eique non minus locus sit, et si quacunque causa sui iuris infans inueniatur d. l. 18. §. 3. in f. facile est ad intelligendum, memoratas causas pro veris haberi non posse. Verosimiliter itaque asseritur, Legislatores nostros simpliciter ad *ius patrium*, siue ad *qualitatem paternam* respexisse, & in compensationem forte onerum, quae patri intuitu infantis incumbunt, ita statuisse conf. HARPPRECHT. de transmiss. heredit. a persona extran. infanti delatae §. 7. Vol. I. Disp. 47. Vnde porro colligitur, ius hoc singulare intuitu solius patris inuestum ad matrem infantis & fratres, aliosque cognatos' profiri haud posse, docente HARPPRECHT c. l. §. 19 squ. nisi forte infans intra annum deliberandi deceperit, tunc enim

enim hereditas eidem delata non ad solum patrem, sed  
ad quosuis infantis heredes, velut matrem & fratres jux-  
ta l. 19. *C. de iure delber.* transmittitur, quemadmodum  
ipse Imperator IVSTINIANVS in *Nouell.* 158. c. 1. diserte  
declarat. v. HARPPRECHT. c. l. §. 13. Tertium, quod in  
lege nostra reperitur, singulare est, quod cum iure an-  
tiquo tutor infanti quidem bonorum possessio-  
nem petere, l. 2. §. 13. D. ad SCT. Tertull. l. 65. §. 3. D.  
ad SCT. Trebell. hereditatem vero pro eo adire non pos-  
set. CVIAC. obseru. L. 1. c. 34. eidem ad exemplum pa-  
tris nunc permisum fit, vtroque modo infanti heredi-  
tatem quaerere, hoc tamen seruato discrimine, vt si tu-  
tor ea facere neglexerit, infante in ea aetate defuncto,  
hereditates ad eum deuolutae & non agnitae, ita in-  
teligantur, quasi ab initio non essent ad eum delatae,  
& ad illas personas perueniant, quae vocabantur, si mi-  
nime hereditas infanti fuisset delata. c. l. 18. §. 2. §. 3.  
Ultimo tandem loco notari meretur, quod pupillo, in-  
fantia maiori & tutorem non habenti, decreto Praeto-  
ris haereditatem adire nouiter concessum sit c. l. 18. §. 4.  
*in f.* quod antea in bonorum possessione tantummodo  
receptum erat. l. 7. C. qui admitti ad bon. passif. Verum  
de his & aliis ad illustrationem legis nostrae notatu  
dignissimae pertinentibus in *Lectione*, quam vocant,  
Cursoria copiosius differet

No.



NOBILIS ET CLARISSIMVS  
DOMINVS  
CHRIST. FRIDER. IMMANVEL  
SCHORCH

Iurium Candidatus meritissimus.

Natus est ille in hanc lucem Erfordiae, anno huius saeculi XXXII. parentibus, quos viuos adhuc colere felicitas illi contingit, clarissimis pariter ac honestissimis. Et patre quidem *Viro Magnifico, Praenobilissimo & Consultissimo* DN. HIERON. FRIDER. SCHORCH, ICto *Celeberrimo, Electoral. Regim. Consiliario, Facultatis Iurid. Adseffore & Professore Pandect. Publ. Ordin. Civitatis Consule Seniore, & Academ. Elec. Mogunt. Scientiarum Vtil. Directore;* Matre vero *ELISABETHA DOROTHEA REBECCA*, nata UTHIN, Matrona singulari modestia, omnibusque sexus sequioris virtutibus perquam conspicua. Horum venerandissimorum parentum in educando insignem ab incunabulis expertus est curam & sollicitudinem. Illi enim non domi solum praeceptis animum informarunt, sed curarunt etiam, ut in publicis Scholis religionis Christianae principiis, & bonis litteris imbueretur. Frequentare itaque primum coepit *Scholam Mercatorum*, quam tum regebat Dn. M. PFAFFIUS, vir in formandis puerorum ingenii etiamnum post fata clarus, qui eum in omnibus illis studiis, quibus aetas puerilis instrui solet, diligentissime erudiuit. Praeparatus sic, anno aetatis suae decimo tertio in *Gymnasium Senatorium*, quod hic floret, translatus fuit, & elegantioribus litteris operam nauauit. Est ibi iterum nactus praceptoribus bonos

& doctos, quippe Professorum in memorato Gymnasio munere tum fungebantur, Viri Clarissimi Dnn. TIEMRÖTH, WEISSENORN, B. SINHOLD, ADELUNG, BESLER, & BOHN; in primis vero laudat Celeberrimum quondam Gymnasi Directorem D. HERMANNUM NICOLAUM STIELER, Virum solide doctum, ex cuius egregiis tam publicis quam priuatis Lectureibus multum se profecisse fatetur. Transacto in illo Gymnasio fere quinquennio, ad Academiam patriam accessit, ibique altiora studia capessere coepit. Cumque Studio iuris se mancipare decreuisset, statim coepit cum Philosophia legitima scientiae praecepta coniungere. Et Scholas quidem Philosophicas quod adtinet, Cursum, quem vocant, Philosophicum audiuit apud Dn. Profess. M. ADELUNG Logices vero praecepta in specie ipsi explicauit Vir Celeberr. Dn. Prof. BAUMER. In Scholis vero Juridicis, praeter Virum Consultissimum Dn. Adsefforem & Professorim HENNE, cuius praelectiones in HEINECCI Elementa secundum Ord. Institut. frequentauit, vñus est unico fere praeceptore Dn. Patre, qui illum non Historiam solum iuris Civilis, Feudalis & Publici docuit, sed textum quoque Institutionum Justinian. explicauit, & praeterea in Pandectis, in Jure Feudali, in Jure Ecclesiastico, in Historia Imperii Rom. Germ. in Jure Publico, & in Manuductione ad Praxin forensem principia solidae iuris scientiae tradidit. Hisce studiis in Academia patria absolutis, alias etiam Academias inuisendi, patre adprobante, consilium ceperat. Verum periculosis & longinquus morbus vehementer haec consilia turbauit, & illum modo ad mortem appulit. Biennum & plus eo in illo curando absum-

absuntum fuit, per quod tempus studia omnia paene  
abiicere coactus fuit. Sed ex quo, quam Dei singula-  
rem fuisse profitetur gratiam, morbo illo profligato,  
conualuit, studia adhuc neglecta resumere, & quae du-  
dum animo agitauerat, exequi coepit. Profectus igitur  
est ad Salanam Academiam, ibique scientiae incre-  
menta ex praelectionibus Virorum Celeberrimorum  
sibi comparare studuit. In Mathematicis operam dedit  
Clarissimo Dn. Professori svccovio, qui *puram & apli-*  
*cata Matheſin* eum docuit. In Iuridicis autem & hi-  
storicis audiuit *Illuſtr. Dn. BVDER*, Virum Humanissi-  
mum, a cuius ore in *Iure Feud.* & *Iure publ.* peperit;  
Consultiss. Dn. Professorem SCHMIDTVM, qui *Historiam S.*  
*R. Imp.* ei tradidit; & Consultiss. Dn. KOCHIVM, cuius  
praelectiones in *Ius Criminale* frequentauit. Per omne  
quoque tempus, quo Jenae fuit, frequens interfuit ex-  
ercitiis disputatoriis priuatis, quae ibi sub moderamine  
Consultissimi Dn. Prof. WVNDERLICHII instituuntur.  
Exacto ibi anno, cum bellum duraret, & aditum ad  
alias Academias, quas ipsi praeterea adire animus erat,  
velut ob sideret, domum redire decreuit, vbi redux fa-  
ctus animum adiecit ad summos in Vtroque iure hono-  
res adsequendos. Exhibuit propterea, prout moris est,  
Ordini nostro literas supplices, petiisque ea, qua decet,  
modestia, vt dies Examini rigoroso non solum desti-  
naretur, sed & textus ex vtroque iure elaborandi com-  
municarentur; laudabilissimo eius desiderio annuere  
non dubitauimus, & terminum examini praefiximus,  
in quo textus ipsi communicatos solide adeo ac erudi-  
te enodauit, & quaestiones in ipso examine propositas  
tam prompte, talique ingenii felicitate & facilitate re-  
foluit,

soluit, vt vnanimi consensu Supremis iurium honoribus dignissimus fuerit iudicatus, & ad edenda reliqua specimina ipsi publica cathedra fuerit aperta, ex qua proxima die Lunae, quae erit 2. Octobris L. 18. C. de iure deliber. lectionis cursoriae loco explanabit, & dissertationem inaugurelam

DE

FEVDIS CENSVM

sine Praefide habebit. Ad quos actus so'ennes Magnificus Dn. Rector, nec non Domini Proceres ac Ciues academicci perhumaniter inuitantur, roganter. Publ. sub Sigill. Facult. Iurid. d. 1. Octobr. M DCC LVIII.







**ULB Halle**  
005 355 710


3





B.I.G.

Black



1758, 3  
36

FACVLTATIS IVRIDICAE

EX·DECANVS

CONRADVS WILHELMVS  
STRECKER

IC<sub>TVS</sub>,

EMINENTISSIMI AC CELSSIMMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIARIVS REGIMINIS, MEMORATAE FACVLTATIS ASSessor SENIOR, IVRIS FEVDALIS PROFESSOR PVBL. ORDINARIIVS, NEG NON CIVITATIS ERFORDIENSIS SYN-DICVS ET CONSVL PRIMARIIVS

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

---

ERFORDIAE,

Litteris HERINGIANIS, ACAD. TYPOGR.

